Quelle: http://manuscripta.at/?ID=32270
Copyright: Lilienfeld, Zisterzienserstift

rex post modum ciborium solidum mire magnitudinis et magni ponderis fecit, multisque illud preciosis gemmis decoratum ad sepulchrum domini ierosolimam transmittere voluit. Sed cum minime potuisset, idem super corpus beati Marcelli martyris quod in civitate Caballonno sepultum est, ubi sedes regni illius erat, poni fecit, et est ibi usque in presentem diem: nec est usquam aliquod opus ex auro effectum quod ei valeat comparari. Intentus autem deo idem rex spiritalibus se actionibus mancipavit, ut relictis seculi pompis thesauros suos ecclesiis et pauperibus erogaret. Moritur autem anno tricesimo tercio regni sui. v. K. aprilis. sepultusque est in ecclesia sancti Marcelli in monasterio quod ipse construxerat.

Vita honorati confessoris.

VENANTIO quondam patricio in samnii partibus villa fuit, in qua colonus eius filium Honoratum nomine habuit, qui ab annis puerilibus ad amorem celestis patrie per abstinentiam exarsit. Cumque tam magna conversatione polleret, seseque iam ab ocioso quoque sermone restringeret, multumque ut prefatus sum per abstinentiam carnem domaret, die quadam parentes illius vicinis suis convivium fecerant, in quo ad vescendum carnes paraverant. Quas dum ille ad esum contingere pro abstinentie amore recusaret, ceperunt parentes eius irridere et dicere: Comede. Numquid piscem tibi in his montibus allaturi sumus? In illo vero loco audiri pisces consueverant, non videri. Sed cum his sermonibus Honoratus irrideretur, repente in convivio aqua defuit ad ministerium. Cum situla lignea sicut illic moris est mancipium ad fontem perrexit. Cumque hauriret, aquam piscis situlam intravit. Reversumque mancipium ante ora discumbentium piscem cum aqua fudit, qui ad totius diei victum potuisset Honorato sufficere. Mirati sunt omnes, totaque illa parentum irrisio cessavit. Ceperunt namque in honorato venerari abstinentiam, quam ante deridebant. Sicque a dei homine irrisionis detersit obprobria piscis de monte. Qui cum magnis virtutibus cresceret, a predicto domino suo libertate donatus est, atque in loco qui fundis dicitur monasterium construxit, in quo ducentorum ferme monachorum pater extitit. Ibique vita illius cunctis circumquaque exempla eximie conversationis dedit. Nam quadam die ex eo monte qui eidem monasterio in excelsum prominet, ingentis saxi moles erupta est, que per devexum montis latus veniens, totius ruinam celle omniumque fratrum interitum minabatur. Quam cum venientem desuper vir sanctus vidisset, frequenti voce Christi nomen invocans, extensa mox dextera signum ei crucis opposuit, eamque in ipso devexi montis latere super cadentem fixit. Et quia locus non fuerat quo inherere potuisset, aspicitur ita ut nunc usque montem cernentibus casura pendere videatur. In eadem provincia samnii quam superius memoravi, isdem vir pro utilitate monasterii carpebat iter. Cumque dux Darida gothorum cum exercitu in eodem loco venisset, dei famulus ex caballo in quo sedebat ab hominibus eius proiectus est. Qui iumenti perditi dampnum libenter ferens, et flagellum quod tenebat diripientibus obtulit dicens: Tollite ut habeatis qualiter hoc iumentum minare possitis. Quibus dictis, protinus se in orationem dedit. Cursu autem rapido predicti ducis exercitus pervenit ad fluvium nomine Vulturnum. Ibique equos suos ceperunt singuli hastis tundere, calcaribus cruentare. Sed tamen equi verberibus cesi, calcaribus cruentati, fatigari poterant, moveri non poterant; sicque aquam fluminis tangere quasi mortale precipicium pertimescebant. Cumque diu cedendo sessores singuli fatigarentur, unus eorum intulit quia ex culpa quam servo dei fecerant, illa sui itineris dispendia tolerarent. Qui statim reversi post se Libertinum reperiunt in oratione prostratum. Cui cum dicerent: Surge, tolle caballum tuum, ipse respondit: Ite cum bono, ego opus caballo non habeo. Descendentes vero invitum eum in caballum de quo deposuerant levaverunt, et protinus abscesserunt. Quorum equi tanto cursu illum fluvium quem prius transire non poterant transierunt, ac si illius fluminis alveus aquam minime haberet. Sicque factum est ut dum servo dei unus caballus redditur, omnes